

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 24 Februarii 1724.



M. CLAUDIO BRUNET,

DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An frequentiores atque Periculoſiores in variolis præjudicatæ opiniones?

I.

FELIX qui potuit morborum cauſas cognoſcere. Nodis ætiologiæ expeditis curatio felicior. Hæc veritatem ſpeculationis ſignificat. Duo Medicinæ adminicula commentatio & experientia ſibi mutuò opitulantur. Ætiologiæ variolarum ignarus iis curandis non ſe accingat. Cujuſvis eſt hominis errare, nullius niſi inſipientis perſeverare in errore. Objicitur quod viam experientiâ compertam inſiſtunt; nullis imbuti præceptis methodum multis abhinc annis adhibitam deſerere nefas eſſe ducunt. Vitio malignitatis humanæ vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio ſunt. Hypotheticas narrationes, fabuloſas, progreſſui Medicinæ plurimum obeſſe non diffiteor. Medicus in perpetuâ quâdam ſit vigiliâ contrà vanas contemplationis illecebras, & otioſam mentis evagationem: Longè plùs à ſapientibus viris uſui quàm præceptioni tribuitur. Utrumque tamen requiri nos docent. Commentatio & actio æquè neceſſariæ. Experientia quam non regendam ſuſcipit ratiocinatio, in errorem inducit: Qui ſpeculationem experientiâ temperat operis pretium ducturus peritus artifex ab inſcio diſtinguitur. Hic præjudiciis ductus cauſas, naturam, ſymptomata, &c. variolarum ignorans, ſub onere lapſurus, ſi ingens earum curationis opus attigerit. Ne quid deſit ad probandam doctrinam & experientiam ad cæteras miſerias aliud etiam accidit incommodum. Per anomalias aëris, inverſos tempeſtatum ordines, contagioſa miaſmata, inſolitam nonnunquam contrahunt malignitatem, tunc intenta ſit Symptomatum obſervatio, nulla cujuſcumque rei neceſſariæ omiſſio; jugis recordatio nihil inutile movendi, in naturæ factis motibuſve interpretandis nulla temeritas. Summâ obſervandum curâ quidquid ad ſalutem ægri reſarciendam pertinere intellexeris, liber ſit animus ab omni præjudicatâ opinione ut ſentiat morbi naturam, genuinam faciat medicinam. Errant qui variolas diverſo reſpectu ac alios morbos non conſiderant. Earum naturam noſſe ſat eſt, ut ab aliis diſtinguantur. Symptomatis nimis quam par eſt non commoveberis modo ambigua illorum ſpecies tibi comperta fuerit: Criſes patiuntur potius quàm morbos ii qui puſulis hujuſce generis variantur. Morbi hujus ſolutio naturæ feliciter creditur, duntaxat cadit in illam tam abſolutum opus. Non concludendum variolas abſque remediorum ſubſidiis curatas iri. Medendæ valetudini opem Medicinæ inutilem perperàm prædicas, cujus ſanatio naturæ juris eſt ac mancipii. Quaſi verò Natura non adjuvanda ut feliciùs operaretur? Partus inter opera Naturæ profectò cenſetur; quot puerperæ vitâ excederent niſi partu ſcitè levarentur? Aliquando Natura adeo fatiſcit ut concoctionem humorum, eorumdem ſecretionem abſolvere nequeat. Humores tanto motu ſæpiùs cientur ut ſecretiones inhibeantur. Cribrum magis aut minùs quàm par eſt commotum non ritè ſuccernit.

Non rarò cutis ſtricta ac denſa abitum Colluviei humorum ſepit. Materia noxia felici cum ſucceſſu per ſalivam aut alvum eliminatur, aliàs humores motu cordis ſpaſmodico vaſorum ſuccuſſu, materiæ orgaſmo prætermodum agitantur, vaſa plus æquo diſtenſa diffringuntur. Quà data porta quaſſus ruit ſanguis, liberalis hæmorrhagia non rarò leviorem reddit morbum. Magnæ tum diligentiæ, tum etiam prudentiæ ægrotantes in tali procinctu ad ſanitatem perducere. Caput eſt noſſe an hæ fluxiones ſiſtendæ aut promovendæ; riſum movet imperita multitudo in decurſo variolarum ſpatio eamdem ægrorum rationem habendo. Varia hujus morbi tempora, diverſos ſtatus ignorat. Primum æſtûs febrilis quo materia iteratis ſolidorum concuſſionibus, frequenti globulorum ſanguineorum occurſu ad abſceſſionem componitur. Secundum exitûs ſive eruptionis quo materia prius diviſa corporis habitum appetit. Tertium denique maturationis ſive ſuppurationis quo congeries glandularum in purulentiam atque cruſtas reſolvitur hic morbus phlegmonis naturam refert ex cruditate decedens, maturitatem deinde aſſecutus demùm areſcit. Diverſis his temporibus contraria curatio adhibenda. Res in pejus ruit cum variolæ in gulam, intima corporis ingruunt, inflammantur viſcera, humores ſtagnatione ſubſiſtunt, in deviis ſemitis oberrant. Quæ incommoda ut vitet Medicus nimis cautus in ſingulas horas eſſe nequit. Contrà Symptomata id genus pugnam non capeſſat arte medendi imperitus iis debellandis non ſuffecturus. Ne putes hoc morbi genus, antiquis Græcis incognitum, Arabum ætate natum. Hujuſce novitatis mentionem feciſſent in ſuis ſcriptis Arabes. Hippocrates, Galenus, Aëtius plurimos morbos exanthematis ſtipatos deſcripſère. Hæ deſcriptiones non omnino cum noſtris variolis convenientes non te dent intricatum. Noſtras variolas ejuſdem generis non ſemper apparere neminem latet. Similes iidemque morbi aliis atque aliis ſæculis ex diverſitate regionum victûs, &c. quaſdam mutationes & differentias accipiunt. Ex quâ materiâ ortum habeant variolæ dictu difficile. His cauſam plurimi aſſignant reliquias quaſdam menſtrui ſanguinis, quo fœtus in utero alebatur. Aliquam qualitatem venenatam in hoc excremento comminiſcebantur; hæc lethifera poteſtas prorſus antiquata videtur. Nonnulli cauſam hujuſce morbi quibuſdam chyli reliquiis tribuunt qua ratione Natura variolarum pateſiat ad cauſam generalem omniuum morborum confugiendo. Cauſam immediatam & proximam variolarum detegere ſatagis? Sanguineæ maſſæ naturam rimare, aſſequere. In eâ hujus morbi fons & ſeminarium. In pueris infantibuſve etiamnum permanet, conſopitur anomaliis tempeſtatum, victûs erroribus, &c. efferatur, Naturæ vi propellitur, foras proſilit, in cute effloreſcit. Is certè variolas curaturus eſt quem prima origo earum cauſæ non fefellerit.

II.

NOBILISSIMUS liquor ſanguis, ſui ipſius vitæ, ſanitatis, functionum omnium auctor, conſervator, reparator, tot munera ſuſcipit, exequitur mirâ ſimplicitate; unicâ namque conſtat ſibi propriâ partium ſpecie, rubrâ nimirum: hæc globoſa eſt ſummè mobilis, actuoſa, omnium corporis humani bonorum effectrix. Sanguis propriè dictus, aliis quotquot ſunt ſanguineæ molis partibus utitur tanquam materiâ ſibi ſubjectâ quam ita movet, exercet, modificat, ut eam ad omnes ad quos deſtinat uſus efficiat aptiſſimam. Materiam habet ab albâ fibroſâ ſanguineæ molis parte, formam à ſeipſo. Priſtinam quandoque reſumit formam fibroſam nimirum à ſuâ mobilitate facile degener, ut in viſcerum inflammationibus. Quandiu rubra ſanguineæ molis portio aliis quantitate ſufficit, tamdiù (modò ſui juris ſit liberæque ſint viæ) omnium liquorum choreas ducit, quaſque corporis pervadit partes, ſingulis motum, calorem, nutrimentum, &c. allatura. Verùm ſi aliis quantitate vincitur, tunc moles facta tardigrada ſibi ipſi impedimento eſt ubique hærere ſemper parata. Minoribus cedit obicibus vaſa capillaria ſanguifera ægre trajicit lymphatica facile ſubit, ingurgitat, partes inflammatione tentat, eaſque potiſſimùm quas majori quantitate cogitur pertranſire. Fibroſarum molecularum lymphæ in globulos converſio eorumque in eaſdem reductio te ſuſpenſum habent, tenentque ſollicitum? Nutritiæ ſtude moleculæ, eam oculis animi ſequere, meditare. Ex alimentis, maceratione,

tritu, ſubactione, &c. elicita, fit chylus: Ad ſanguinem uſque perducta & cum eo per corpus circumducta, vel partibus inhæret, eaſque nutrit, vel ſanguini permiſta remanens, undique, ſempèr, & ubique preſſa, percuſſa in fibram extenditur, & tunc lympha eſt quæ modo chylus erat. Fibra facta, nutritia molecula & inter globulos ſanguinis contenta, cujuſdam viſciditatis ſemper particeps ſi prope axem alicujus globuli leviter inhæreat vorticoſo ejuſdem globuli motu volvitur in globum & tunc rubra eſt quæ modo alba erat, ſi minus volvatur in globum, fibriformis remanens extenſionis tandem ulterioris impar, indeſinentibus tum globulorum ictibus, perenni vaſorum oſcillatione, jugi circulatione in minutiſſimas particulas teritur, diſrumpitur in ſuccum nerveum abitura, vel per inſenſibilem tranſpirationem tandem eruptura. Ut primum fibra convoluta eſt globulus recens factus; craſſus admodum eſt, mollis, laxus, ſed à circumſtantibus globulis undique fortiter & continuò preſſus ſtringitur ſenſim, ſenſimque tenuior fit. Quantamcumque verò tenuitatem acquirat globulus numquam ad perfectam pervenit ſoliditatem ſed ſemper compreſſibilis exiſtit, nec priſtinæ ſuæ formæ, fibroſæ nimirum, immemor, eam levi de cauſâ reſumit ſeſeque in fibram de novo extendi ſinit & tunc alba fibra eſt qui modo ruber globus erat; rediviva fibra præterfluenti ſanguini reddita rurſùs volvitur in globum, in fibram brevi forſan evolvendum. Poſitâ haccè ſimpliciſſimâ mechanice quam aſtruit D. Gelly Doctor Medicus Pariſienſis litteratiſſimus ac exercitatiſſimus in eleganti theſi de Peripneumoniâ * quæ typis non mandata eſt facilè concipies cur in viſcerum inflammationibus, obſtructis, ingurgitatis & dilatatis vaſis ſanguiferis, ſanguinea moles tam cito rubrum ac genuinum amittit colorem, globulis ſcilicet ſanguinis minus preſſis maximam partem evolutis tum à materiâ ſubtili, tum à ſalium ſulphurumve particulis eos tunc facile ſubeuntibus, explicantibus: cur miſſi tunc ſanguinis ſuperficies alba coriacea & fere cornea conſpicitur in fundum pelvis præcipiti exiguâ ſuperſtitis rubri ſanguinis parte, cur ſedatâ inflammatione ſuum tam brevi reſumit ruborem, cur evaſatus ſanguis & omnis circuitionis expers totus in album ſubſtantiam, pus nimirum, convertitur, ut in abſceſſibus. Globulos ſanguineos, glandibus plumbeis, lympham albumini ovorum compara: hoc cum glandibus agitatum liqueſcit; illa unà cum globulis ſanguineis circulando tenuior fluidiorque evadit. Contrarium in infantibus contingit; eorum fibræ laxitate, mollitie donatæ debiles pariunt oſcillationes, ſanguis non fortiter cuditur, globuli eorum ſanguinis molles ac pauci ſunt: hinc lymphæ redundatio, craſſities. Hanc dyſcraſiam lymphæ in infantibus arguunt morbi iis proprii à lymphatico latice ſuperabundanti orientes; parvis quidem & recens natis aphtæ, vomitus, tuſſes, vigiliæ, umbilici inflammationes, aurium humiditates: qui natu ſunt majores tonſillæ inflammatæ, aſthmata, calculi generationes, verrucæ penſiles, ſtranguriæ, ſtrumæ & alia tubercula, &c. Hactenus divinus ſenex exactum morborum infantum agmen refert aphor. ſectione 3. ſic ut in iis variolæ maximè deſignatæ ſine ullâ dubitatione dignoſcantur. Prout ſanguinis motus intenſus aut remiſſus fuerit fibræ vividiùs aut languidiùs vibrantur diverſi morbi jam jam allati exoriuntur, lympha ad tranſpirationem & ſecretiones varias minùs apta, nimiâ quantitate in ſanguine congeſta, cum eodem partìm circumflua, partìm intus vaſis & viſceribus hœrens globulorum ſanguinis ejus diviſionem debiliter molientium irritos conatus eludit, renuit, imò ipſoſmet globulos ita implicat, ut ad vaſa minima plus æquo renitantur humores. Sanguinis motus effertur & invaleſcit, vel aucto aëris elaterio vel inquinamentis contagioſis, non raró animi perturbatione aut nimiâ corporis agitatione, aliove diætæ errore, fluida ſus deque confuſa pervertuntur, arteriæ degenerem eorum maſſam crebriùs cudunt conflictus tritufve ſolidorum augeſcit, calor prius ad naturam accommodatus ignitam induit indolem, febris corpus extorret, cohærentes lymphæ particulæ ſecundo hujuſce turbidi motus interventu diviſæ ac evolutæ ad glandulas cutis appelluntur, halitu diſſlantur aut in glandulis turgeſcunt, puſtulæ formantur, œconomia animalis graviter perturbata ab humoris noxii onere liberatur. Sanguis & viſcera expurgantur,

* *An Peripneumonia ibicinus ſanguis ?*

redundantia ac crassities lymphæ, morbi fons & origo, evanescit, globuli sanguinei copiosiores firmiorem structuram sibi vindicant, intricati expediuntur, in fibras evoluti iterum convolvuntur, ægrotantes pristinam insuper valetudinem recipiunt, modo in iis curandis non oberraverint vel morbus adeo malignus seu lympha superabundans tanta prædita fuerit crassitie ut ægrè curationem admittat, quod raro fit nisi variolæ serpant epidemicæ.

III.

VARIOLÆ quemadmodum alii morbi plerique in nisu ac conatu naturæ versantur. Alicujus humoris noxii divisionem, excretionem molientis. Citiùs aut tardiùs prodeunt pustulæ ratione majoris vel minoris crassitiei, copiæ lymphæ, vel fortioris aut debilioris fibrarum elateris. Ex doctrinâ Hippocratis aphor. 28 sect. iij. Plurimæ quidem affectiones pueris judicantur, aliæ in quadraginta diebus, aliæ in septem mensibus, aliæ in septem annis, aliæ ipsis ad pubertatem accedentibus : huic morbo se eximunt qui fibras bene constitutas eutoniâ pollentes sortiuntur. In iis divisio lymphæ tacitis ictibus conficitur, ejus exuperantia inhibetur qui semel laborarunt hoc morbo salvi ac immunes non habentur nisi glutinosa lympha omnino emendetur, luxurians imminuatur, fibræ tenorem firmum ac naturalem sibi comparent. Alia Symptomata variolarum hanc ætiologiam confirmant utpote quæ iis explicandis apprime inservit, qui in hunc morbum incidit defatigatione quâdam ingravescit, oscitat, pandiculatur, exhorrescit, sævâ divexatur tussi, capite, dorso, lumbisque dolet, æstu jactatur, arteriæ crebrius micant, calor ex intimis cooriens præcordiis, in universum corpus diffunditur, cutis rubicundum trahens colorem molesto quodam punctionis sensu afficitur quasi aculeis configeretur, stomachus nauseâ gravis sæpe exoneratur, frequens corporis jactatio, summa virium dejectio per quam ne cibus quidem optimus cor recreat, nunc somnus pavore interruptus, nunc vigiliæ molestæ; diversitas in urinis summa, rubræ, claræ, turbidæ, sanorum similes, paucæ, cruentæ, multæ prodeunt, aliquando non excedunt, alvus vel cita vel astricta, os vel sicceffit vel copiosa affluit saliva, pruriunt nares, non raro sanguinem fundunt, is quoque per pulmones, per alvum emittitur, oculi tument, corruscant, illacrymantur, vox raucescit, ægrè ducitur spiritus, rubescit facies, ac tumescit, artus tremunt, strident dentes, deliria, motus convulsivi incidunt. In vultu, manibus, in reliquo denique corpore circiter tertium vel quartum diem rubræ efflorescunt maculæ, quæ mox augescentes pustulas numero, magnitudine dissimiles efformant. Hæ in abscessus abeunt, vel sparsos sive distinctos, vel sibi mutuò continuos sive confluentes, ratione conclusi ichoris variè coloratos, nonnunquam iteratis vicibus emergunt occuluntur ve pustulæ, aliàs non simul erumpentes aliæ aliis sufficiuntur, aliàs unà cum morbillis & petechiis prodeunt. Sæviùs exercentur confluentibus quam discretis decumbentes nisi viscidior lympha prætermodum redundet aut aliquid motui naturæ adversetur. Nullus sexus, ætas nulla earum immunes prostant infantes sæpiùs, perrarò tentantur senes. Lympham vi, crassitie, copiâ vel in ætate provectis globulos sanguinis vincere non impossibile est. Errores victûs varii partis rubræ sanguinis robur infringere, lympham augere valent; tunc sanguis lento gradu vasa permeans in minimis subsistit, devias semitas sumit, viscera infarcit, glandulas obstruit, hinc febris, inflammationes partium, deliria, difficultates spirandi, dysenteriæ, pustulæ, &c. nonnunquam hæc dyscrasia à miasmatis contagiosis inducitur cum variolæ epidemici speciem morbi induunt ac in aliquâ regione gliscunt ac sæviunt. Hæc strages contagio admodum nocenti ascribenda, quiquid à nonnullis reclametur, variolas inter morbos contagiosos recensendas esse probat exitialis exitus earum inoculationis temerè susceptæ. Turcæ guttam puris è pustulis punctis exceptam vulneri cuti leviter inflicto instillant. Sinenses turundam eodem pure imbutam in nares intrudunt. Sic variolas subeuntes à metu morbi in posterum redituri vacare asserunt. Omnibus notum hanc curationem hisce temporibus quosdam adhibuisse Europæos ausis promtos : spem hâc operatione utentes frustrari experientiâ discitum est. Licèt malè res cedat, contagio variolarum extrà omnem controversiam ponen-

ſa. Lympha ſemper atque ſemper glutinoſa levi de cauſâ ſummum lentorem ſibi comparat; ne mireris miaſmata illi ſummam craſſitiem impertire, his adde quod ſi fides ſit adhibenda iis qui de inoculatione ſcripſerunt hanc operationem fruſtrà inſtitui in iis qui hoc morbo perfuncti debito modo curati fuere maximo dicendi argumento miaſmata huic morbo producendo non ſuffectura; niſi lentor ac redundantia lymphæ ſuum ſymbolum præbeant. Nunquam ægros tam magno periculo vidiſti medius fidius. Jam periere variolis laborantes, ſymptomatis diris ac lethalibus exercentur, humores nobiliores à craſi naturali deſciſcunt. Ad tibicines non ideo mittas, ſalutem à Naturâ expecta, modò illius leges venereris, nec ab illa doceri ac duci erubeſcas.

IV.

AD decretorium hujus curationis accedere velis? Ne febrilem ſanguinis motum plus æquo intendas aut cohibeas ut diviſio & lymphæ ſecretio ad proſperos perducantur exitus. Omnes nervos intendas ut circuitio humorum reſtauretur, partis rubræ ſanguinis redintegræ ſubſidio lympha craſſa dividatur, redundans diſcutiatur quod apud antiquos concoctio audit. Huic morbo laboranti qui aptè mederi cupit talia adhibeat præſidia quæ globulos ſanguinis partìm reſtituere degeneres, partìm intricatos expedire, cæterarum ſanguineæ molis partium circuitum redintegrare & humores præternaturales redundantes aut excrementitios per vias convenientiores foràs amandare valeant. Cùm natura propriis nixa viribus ritè procedit, artis opere non tentanda quæ natura ſibi relicta perfectura eſt. In maximum diſcrimen ægros adducunt qui in omnibus variolis Diaphoretica, Bezoardica, Cardiaca indiſcriminatìm in uſum vocant, hinc fervor humorum & ſævitia, viſcerum incendia, ruptiones vaſorum, fibrarum contractiones. Solidorum durities, oſcillationes blandæ ac naturales partium pervertuntur, ſeu quod idem eſt humores ſubſiſtentes ubique circulari nequeunt, in quo totius curationis cardo vertitur. Haud minus periculum eſt calidioris diætæ. Fervidioris aëris nimium æſtum non minus quam intempeſtivam corporis refrigerationem pertimeſcas. Cubiculo non æſtuent, ſtragulis non obruantur ægrotantes. Largus potus præſertim non denegetur: alioquin corpus ſuccis aquoſis & diluentibus ſudore & febre exhauritur: ſolida rigeſcunt, fluida craſſiora facta torpent, motu circulatorio orbantur. Staſes arceſſuntur, viſcera exuruntur, omnes partes cum ſolidæ, tum fluidæ in virus putre colliqueſcunt & tabeſcunt. Frænis non calcaribus indigere id morbi genus conſentiunt omnes. Febris nonnunquam ſævit, plena tument vaſa. Sanguis violentiùs quam par eſt elatus ſua vaſa permeare nequit, ſuo circuitui ipſemet officit, ſibi ipſi viam præcludit, omnia comprimuntur incernicula tranſpiratio ſiſtitur, humorum circulatio feriatur. Ideo cauſa morbi, lympha craſſa nimirum nec dividi nec eliminari nequit. Secretiones omnes quemcumque abitum obſeptum offendunt, infarciuntur viſcera, lethales imminent inflammationes. Quis putat vel leviter præceptis Medicis imbutus hæc omnia incommoda abſque ſanguinis miſſione ſufficienti quantitate celebratâ avertenda fore: hoc vacuandi genus variolis alienum exiſtimant quamplures: hanc medicinam formidant. Age miſerabili errore certoque vitæ periculo, in certum rectumque ſalutis iter revocandi. Sanguine ſufficienter detracto febris ſe remittit, compreſſio, tenſio, tumor, erethiſmus vaſorum auferuntur lympha glutinoſa liqueſcit, ſi quidem humorum circulatio redintegratur. Hàc via humores priſtinam tenuitatem ac naturalem duntaxat recuperare valent, lymphæ redundantis, tranſpirationis, &c. Secretio promovetur, expeditior via omnibus humoribus comparatur: immoderati ac devii cùm ſolidorum tùm fluidorum motus componuntur. Natura in viam ac ordinem reducitur. In exemplis ſunt narium hæmorrhagiæ, ante eruptionem obortæ, necnon catamenia toto variolarum curſu modicè fluentia, hæc profluvia ſpontanea maximopere ægros juvant. Tutè ac certò agis viam inſiſtens quam præmonſtrat Natura. Tanta eſt vis pondusque hujus argumenti, ut ne hiſcere quidem audeat quiſquam. Sanguinis detractioni aſſentiuntur dummodò ante variolarum eruptionem inſtituatur. Hoc illud eſt extremum vallum quo ſe recipiunt cæteris depulſi munimentis: antequam puſtulæ prodierint coactus Symptoma-

tis sanguinem emittis potiori jure cum cutis papulis exasperata est hanc detractionem tentare non expedit nisi illam exegerit morbus. Docet Hippocrates aph. 29 sect. ij. *per morborum acutorum initia si quid movendum videtur moveto.* Ineunte morbo nihil intentatum relinquas, etsi omnem cogitationem curamque in præcavendis Symptomatis initio impenderis, nonnunquam lympha adeo tenax est ut cum acmen assecutus fuerit morbus horrendum in modum aggravescat. Humores ubique remorantur, omnes infarciuntur partes, ægrè ducitur spiritus, partibus respirationi inservientibus lacessitis propemodum præfocantur ægri. Copiosus vomitur sanguis, vel per anum vel per urinam egeritur, æstu febrique jactantur. Vix è trepido sopore arcentur, delirio vexantur, motibus convulsivis & epilepticis fermè opprimuntur. Ut primum in pejus mutata sunt omnia aliquam materiam nescio quam in corpore retineri ac naturæ ejus egestionem incassum molienti obsistere suspicantur, nec mora quidquid excogitare possunt ad corpus & præcordia calefacienda tentant ut eruptio promoveatur. Fenestras foresque cubiculi ne quid afflet auræ obserari diligenter jubent, languentes ægros multâ sub veste se continere, quàm calidissimo cibatu, jusculis succi plenis, exiguo mero sed quàm austerissimo, sacchāro, & aromatis medicato refici. Perversâ curatione eò adducuntur ægri ut ultimum adesse discrimen facilè intelligatur. Jam tempus est iis auxiliari. Levamentum erit expeditum si fluidorum circuitus, solidorum naturalis tenor restituantur: mira hæc præstant sanguinis missio, leniens diluensque victûs ratio. Ne regeras ea fervorem sanguinis extrudendis variolis opitulantem extinctura fore. Iis utimur cum humores prætermodum æstuant, nimius æstus magis obstat huic excretioni criticæ, quam humorum motus paulo remissior. Sed quod majus est non tam excretioni quam divisioni humorum consulas. Secretio divisionem humorum arguit non vero procreat & (ut loqui amant) tanquàm signum non verò tanquàm causa habenda excretio. Remedio supersedeas cum gravia non urgent Symptomata vel febris leviter augescit, quod circà nonum vel undecimum diem variolis suppurantibus plerumque contingit. Diluentia ac temperantia duntaxat exposcit hæc febricula. Hoc unum opponunt, quod gravissimi quidem momenti existimant, venæ sectionem humores à circumferentiâ ad centrum subducere. Ideò naturam à variolis foras eliminandis avocari. Ex Physicis constat liquores eò decurrere ubi minorem offendunt resistentiam. Depletis vasis sub cute perreptantibus ad eas sanguis velut agmine facto irruit. Humores per glandulas subcutaneas secernendi unà cum eo ad corporis circuitum pertingunt. His de causis sanguinis missio mœrore confectis, perculsis terrore, multum prodest utpote quæ viscera sanguine obruta liberat. Sanguine ad peripheriam corporis appellente tensiones fibrarum minuuntur. Pars quâ sanguis detrahendus symptomatis propriis variarum affectione partium definitur. Experientiâ compertum pectori venæ sectionem brachii, cerebro verùm inflammato sanguinis è pede missionem competere. Hìc observanda veniunt quæ de derivatione aut revulsione referunt Authores. Inflammatione abdomini imminente saphena pertundatur, modò venæ sectiones è superioribus partibus sufficienti quantitate præcesserint, quominùs sanguis affatim ad partem inflammatam irruens morbum exasperet ne pecces contrà leges ratione & experientiâ sancitas quas observare sit religio, præsertim in acuto & ancipiti morbo, quales sunt variolæ quocumque alio nonnunquam periculosiores in quibus nulla spes impunitatis, maxima peccandi illecebra, minima in iis curandis delicta consequuntur gravissima incommoda.

V.

MAXIMA pars materiæ variolarum ad circumferentiam corporis plerumque ablegatur. Glandulas in hâc parte disseminatas subit, per vascula earum quæ excretoria appellant egeritur. Aliquando effusissimis habenis alias partes invadunt variolæ quod ita fieri copiosæ salivæ excretiones alvi fluxiones quæ variolis laborantes ut dicam quod res est exercent, sed iis non rarò levamentum afferunt. Quid nî naturam æmuletur Medicus materiam ad has partes allicere & per eas extrudere satius est quam si in corpore redundans partem nobiliorem occupaverit. Propositum assequeris cathartica & emetica ritè adhibendo: hæc maximam humoris noxii partem

fuffurantur; principio morbi apprimè conducunt : antequam materia fluctuans in viscera impegerit reprimenda ac vacuanda. Præstare antimonialia multiplici nomine norunt omnes. Hoc vacuandi genus interdictum ne existimes, modò humores eò ducantur quò vergit Natura, optima magistra ex suis factis præcepta depromit. Purgatione præsertim utaris, cum stomachus sentiatur gravis nauseâ : humores torpescunt ac veterno quodam detinentur huic torpori oppidò medentur vesicantia. Imprimìs animadvertendum hoc remedii genus venæ sectione & emeticis tardiùs operari. In morbis acutis cunctatione nihil periculosius. Ut vesicantium usus ad frugem vertat corporum nostratium teneritudini & in spasmum proclivitati consulas oportet, viscerum fervoris, nervorum exarescentiæ rationem habeas. Eâ lege usurpabuntur ubi sopore obruuntur sensus vel ubi maligni quo nervi infestantur seri partem diverti aut præoccupari decet, vel cum alio vertendus fibrarum oscillantium motus fluidorum impetum mutaturus, qui parti fit rubor quique urit dolor indicio sunt illùc facti sanguinis confluxûs qui sic à cerebro ad hanc partem aversus deturbatur, quam subeundo à semitis cerebri reducti humores alias ingrediuntur; hasque peragrando trans ea quæ offendunt secretoria, maligna quibus infestantur morbi miasmata foràs asportant. Omnis ferè virtus vesicantium perinde ac aliorum omnium remediorum potiùs in solida quàm in fluida, si quidem seri copiam pauciorem eliciunt ut ab hâc egestione eorum potestas deducatur. In censu vacuantium variolis præscribendorum non prorsus negligenda clysmata. Quot & quanta incommoda excrementa indurata & retenta non inducunt ? Hæc congeries coacervata dissipatione seri desiccata diuturniore mora computrescens intestinis varias movet turbas: vicinis partibus noxam communicat, labes sanguini propagatur. Hinc inflationes, distensiones, ardoresque abdominis, tormina, vomitiones, diarrhϾ. Compressis majoribus vasis ac præcordiis sanguinis cursus perturbatur, cohibetur, febrilis æstus augescit. Sudores irriti & anxii, cephalgiæ, oculorum caligines, deliria, vigiliæ. Non malitiæ morbi tribuenda quæ alvo sponte vel medicamenti ope tempestive solutâ aliquando sedantur. Apage illorum timorem solutione alvi transpirationem inhibendi, quasi verò transpiratio extùs & intùs non perageretur : hanc posteriorem excretionem ab enemate excitatam iri non inficiaberis; à diaphoreticis non omnino abstineas. Si iis opus videbitur adhibeas quæ fluida non exagitant, solida non irritant, humoribus divisionem atque circuitum largiuntur, fibras ad oscillationes naturales reducunt. Hunc scopum assequi velis ? Narcotica una cum diaphorèticis præscribas. Hanc permixtionem non probaturam esse insciam multitudinem expecta. Omnia remedia frigida in variolis suspecta habent. Hypnotica hâc qualitate donata falsò existimant : papaverina partibus volatilibus refertissima frigiditate quis arguere potest : nullum remedium reperire fas est quod humoribus crassis dividendis, coagulatis comminuendis, subsistentibus promovendis aptiùs existat. Oleoso volatili spiritu turgent cujus opera à stasibus sanguis sese expedit solida eutoniam sibi comparant, morbida fibrarum tensionis nimietas frangitur, rigere cessant partes à spasmo liberantur, ad naturales se recipiunt directiones, compescitur sanguinis æstus, stomachus placatur, demulcentur viscera, ptyalismus nec longiùs protrahitur nec maturiùs declinat, deliria sedantur, hæmorrhagiæ mitigantur. A Narcoticis metuet minùs qui noverit quantùm ab iis juvetur diaphoresis, atque diaphoreticorum potestas intendatur. Opiatica in genere cardiacorum posita, inter remedia recensenda quæ variolis præsentanea fermè audiunt : Te incessit metus ne partibus actuosis & aromaticis opiaticisque sanguinis excandescat, febris augeatur, non mediocre variolis fiat periculum ? Narcotica acidis, emulsionibus, julapiis admixta adhibeantur. Liberalis sit diluentium, hordeatorum usus, sub hoc morbo ab imo corporis centro ad ultimum corporis habitum ducendi humores; immensè ductilis sit sanguis oportet. Id à potu copioso & calente expectare licet, maxime si intervenerit Narcoticorum usus. Hâc ratione panduntur humores, dilatantur, protenduntur & ad limites corporis remotiores producuntur, verum cutem asperè incessit morbus eam permulcere ac molliùs tractare competit. Incumbant faciei parcendæ & unctitandæ ne fœdiuscule exasperetur ac dif-

formetur : (quod caput est) cuti universum corpus investienti cura impendatur. Quod ad progressus vel regressus variolarum maximè spectat de frigore & nimio æstu vitando dictum est : inpræsentiarum de linteorum mutatione : ea mutare piaculum vulgò ducunt antequam ægri symptomatum procellâ planè perfuncti fuerint. Quæ malùm eos ratio impellit ut ægrotantes illuvie & squalore obsitos, ingenti stromatum pondere pressos manere jubeant. Manat è membris omnibus sudor, ardent siti, discruciantur doloribus acerbissimis, linquuntur animo, nihilominùs inter calida fomenta pedore pœne confecti cohibentur. Timentne linteis mutatis lecto stragulis levato transpiratio inhibeatur ? Dum vitant vitium in contrarium currunt. Indusia, toralia diutius servata, pure, sordibus impicantur, indurescunt tetro odore inficiuntur, squalore pori obstruuntur, transpiratio sistitur, sindones rigentes cutem inflammatam, abrasam, sauciatam offendunt, molliores & teneriores partes factæ linteis salibus imbutis punguntur atque uruntur, fœtor caput gravat, somnus abigitur primum cujuscumque morbi solatium. Munditiem munditiis anteeas non oportet ; sed memineris quanti mundities ad sanitatem tuendam, morbos sanandos vel arcendos præstet ; quantopere lintea munda & pura omni unitatis solutioni, ut appellant, medendæ conducant. Indicio sunt squalore obsiti ac inter quisquilias sordesque degentes. Ii etiamsi rectè valuerint plurimis lacessuntur incommodis. Manantibus tabo linteis tetro odore infectis pura sufficiantur, ut ægri totis non paveant noctibus, sed somno indulgeant, cutis eluatur ac demulceatur, doloresque sedentur. Caveas ne perversæ curationis discrimen subeas quæ tantum dolorem, cruciatum, periculum affert, ut non solùm animus à factis sed aures quoque à commemoratione abhorreant.

Ergo frequentiores atque periculosiores in Variolis præjudicatæ Opiniones.

Domini Doctores disputaturi.

M. Elias Col. de Vilars, Scholarum Professor, Regis in ejus Castelleto Medicus Ordinarius.	*M. Antonius de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius & Botanices in Horto Regio Parisiensi Professor.*	*M. Philippus Caron, Facultatis Decanus.*
M. Henricus Besnier.	*M. Joan. Baptista Silva, Serenissimi Ducis Borbonii Medicus Ordinarius.*	*M. Joannes Gelly.*
M. Joannes Besse, Medicus Domûs Regiæ.	*M. Joannes-Baptista-Thomas Marinenq, Scholarum Professor.*	*M. Claudius Burlet, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius & Hispaniarum Regis olim Medicus Primarius.*

Proponebat Parisiis GUILLELMUS-JOSEPHUS DE LESPINE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1724.
à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis Typographi, 1724.